

virtutes esse analogice virtutes, nam D. Thomas 1, 2, quæstione 61, art. 2, ad 4, ita loquitur. Respondetur tamen si nomine virtutis significetur habitus quidam et perfectio naturæ hominis, ut sic, valde acommodate virtutes intellectus dici possunt virtutes simpliciter, nam sunt optime qualitates, et perfectiones hominis: imo ex suo genere sunt ex his qualitatibus, quæ dicuntur simpliciter simplices, et naturam humanam in propriis operationibus perficiunt, et per se non habent malitiam, si tamen virtus dicatur illa, que est principium actus moraliter boni, ut in communi usu hominum usurpari solet, ac D. Thomas loqui videtur, admitti potest analogia: diximus enim supra actus voluntatis proprios esse simpliciter bonos et honestos, reliquos vero denominari ab illis, et analogice esse tales; idem ergo proportionaliter dici potest de habitibus, quo^d præcipue intelligentum est de virtutibus pure intellectualibus, nam de prudentia, quæ moralis dici solet, est peculiaris ratio, ut patebit inferius.

6. An virtus moralis sit simpliciter virtus. — Sed occurrit aliunde difficultas: quia de ipsis moralibus acquisitis videtur D. Thomas negare esse simpliciter virtutes, 1, 2, q. 66, art. 2, quia non referunt hominem ad finem simpliciter ultimum, cum solis illis non possit homo semper bene operari. Respondetur has esse virtutes simpliciter natura sua, quia bonum honestum est bonum simpliciter, et actus moraliter boni sunt simpliciter recti: ergo et habitus ab illis geniti, et ita loquuntur non tantum philosophi, sed etiam Augustinus 1, de Ordine, capite decimo quinto, ubi dicit philosophos quosdam fusissime disputasse de virtutibus: D. Thomas vero eo loco theologice loquitur, et solum compareat: nam si hæ virtutes conferantur cum infusis, non videntur virtutes: vult etiam docere has virtutes solas non sufficere ad constituendum hominem simpliciter rectum, quia per se sole non tendunt in ultimum finem simpliciter, quod tamen necessarium non est ad effectum cujusque virtutis particularis, sed sufficit per se primo tendat in bonum honestum, et natura sua in finem ultimum naturalem, atque adeo esse de se idoneam, ut referatur in ulteriore finem supernaturalem, nec vero etiam est de ratione virtutis, ut nunquam illius finis impediri possit, satis enim est si de se inclinet infallibiliter ad bonum.

SECTIO III.

De divisione virtutis intellectualis.

1. Prima divisio virtutis intellectualis. — Dividit Aristoteles 6, Ethicorum, cap. 3, intellectualem virtutem in quinque species, *intellectum, sapientiam, scientiam, prudentiam et artem*, de qua divisione multa dicit D. Thomas 1, 2, q. 57. Solum advertendum est in illa divisione comprehenduntur plures. Prima virtus intellectualis in speculativam et practicam: quam Aristoteles prætermittit, vel quia ex numeratis speciebus poterat facile colligi, vel quia aliqua membra ex his quæ numeravit, possunt per hæc alia duo iterum dividiri, sapientia enim omnino speculativa est: prudentia et ars omnino practicæ: scientia vero in speculativam et practicam dividit solet, et similiter intellectus in habitum principiorum speculativorum, et in synderesim, verum est tamen omnem scientiam et intellectum, comparata ad prudentiam et artem censeri virtutes speculativas, quia in veritatibus versantur, artem vero et prudentiam dici practice practicas virtutes: et hoc modo docet sanctus Thomas, illa q. 57, art. 2, distingui tres virtutes speculativas, et duas practicas.

2. Objectio contra positam divisionem. — Sed occurrit in hac divisione difficultas, quomodo possunt prudentia et ars distinctæ esse virtutes a reliquo, nam cum sint intellectuales, versari debent circa verum, ac si virtutes sunt, infallibiliter debent versari: ergo certo et evidenter: vel ergo ex cognitione terminorum, et non distinguuntur ab intellectu: vel per demonstrationem, et non distinguuntur a scientia, vel sapientia. Et augetur difficultas: nam hi habitus versantur circa singula et contingencia, in quibus nihil est necessarium: quomodo ergo possunt habere certitudinem. De hac difficultate vide Cajetanum, illa quæst. 57. Quibusdam ergo videtur has virtutes differre ab aliis, quia non sunt proprie cognoscitive, sed veluti dirigentes et imperantes, itaque volunt prudentiae munus non esse judicare quod verum sit, sed post illud judicium imperare, quid agendum sit: et similiter artis prout a scientia distinguitur, non esse docere quomodo faciendum sit opus, illud enim efficere scientias practicas: sed artis esse dirigere recte exteriorem actionem per quamdam propensionem ex recto usu genitam, et hoc modo habent istæ virtutes rectitudinem infallibiliter,

DISPUTATIO III. SECTIO III.

483

quamvis versentur circa singula, quia semper recte dirigunt, vel præcipiunt. Sed haec stare non possunt cum iis quæ suo loco de imperio diximus, in intellectu scilicet non posse esse actum, qui non sit vel cognitio, vel locutio, atque adeo intellectum non dirigere, nec imperare nisi judicando quid sit agendum. Unde Aristoteles 6, Ethicorum, aperte dicit omnes intellectuales virtutes discernere verum a falso.

3. Secunda divisio. — Dicendum ergo est prudentiam et artem esse habitum certum et evidentem, et suam certitudinem habere medio aliquo discursu, in quo cum scientia convenient, differunt tamen, quia cum scientia circa universalia versetur, habet suam certitudinem ex medio per se certo et necessario; prudentia vero et ars, quia versantur circa singula, semper utuntur tanquam medio occurrentibus circumstantiis et conditionibus, et applicant universalia ad particularia, in qua re est propria quædam difficultas, atque adeo peculiaris ratio virtutis. Ex quo patet ad primam partem dubitationis responsio: et colligitur ex D. Thoma, 2, 2, quæst. 47, art. 5, veritatem scilicet istarum vitutum, etiamsi in individuis consideretur, posse esse certam, quia non sumitur ex ordine ad res ipsas, sed ad affectum, quod quomodo intelligentum sit supra explicavimus agendo de bonitate: explicando tamen hoc magis, dici potest in ipsis singularibus et mutabilibus aliquid posse esse immutabile et certum: nam licet conditions rerum singularium sint variae, tamen occurrentibus his, vel illis conditionibus certum esse potest quid, et quo modo sit agendum, et hoc modo procedit prudentia, quæ pensatis omnibus circumstantiis judicat operari hoc, hic et nunc, esse honestum, quod judicium est practice certum, ut supra diximus; et ejus veritas dicitur esse in ordine ad appetitum, quia cum illo debet appetitus conformari. Et similiter procedit ars, nam proposita conditione talis finis, et tali materia, et conditionibus ejus, potest certo judicari per regulas artis, quid et quomodo operandum sit, quod intelligitur quando ars est perfecta, quia interdum procedit ars per modum opinionis, et tunc non est virtus, et hujus etiam veritas dicitur consistere in ordine ad appetitum, quia bonus artifex tale efficit opus, quale vult: unde scripsit Aristoteles 6, Ethicorum, cap. 5, ad perfectionem artis pertinere sponte errare, quod tamen est contra perfectionem prudentiae, quia est directe contra finem ejus. Secun-

da divisio est virtutis speculativæ in intellectum, sapientiam et scientiam, de cuius divisionis sufficientia, et de ratione, et perfectione uniuscujusque membra multa dici possent, sed a philosophis tractantur, viderique possunt dicta, in disput. 4, Metaphysic.

4. Tertia divisio. — Tertia divisio est virtutis practicæ in artem et prudentiam, circa quam, quia magis ad nos pertinet, notandum est primo has duas virtutes in his convenire, quod utraque versatur circa singula, utraque se extendit ad opus, utraque est aliquo modo regula voluntatis et operationum exteriorum; differunt tamen, quia cum duo possint considerari in externo opere, nempe honestas ejus, seu rectitudo moralis, et quidam rectus et conveniens modus efficiendi opus; utraque ratione pendet opus ab interiori motione appetitus, et a directione intellectus: per artem ergo disponitur intellectus ad recte exercendas operationes exteriores secundum eam rectitudinem, quæ resistit in debito concentu et ordine partium; prudentia vero confert ad exercendas operationes convenienter secundum rectam rationem et honestatem, quæ differentia et ex terminis, et ex communi sensu omnium est satis nota, ut magis infra patebit.

5. Primum corollarium. — *Quo exponitur Aristotelis discriber inter prudentiam et artem.* — Ex qua intelligitur primo cur Aristoteles 3, Ethicorum, cap. 3 et 5, dixerit artem esse rectam rationem factibilium, id est, exteriorum operum: prudentiam vero agibilium, id est, internarum electionum, non est enim putandum prudentiam nullo modo versari in operibus externis, cum revera de illis judicet et ad illa moveat: nec etiam artem nullo modo versari circa interiores actus: sed consideravit Aristoteles finem esse veluti formam, quam per se intendunt inducere virtutes hæ in operibus humanis: ars enim præcipue intendit informare opus externum, internum vero solum in quantum habet vim movendi ad opus. At prudentia per se primo intendit efficiere bonam voluntatem et electionem, a qua dimanat bonitas omnis ad exteriora opera.

6. Secundum corollarium quo exponitur altera distinctio Aristotelis inter artem et prudentiam. — Unde secundo intelligitur cur idem Aristoteles, 1, Magn. Moral., cap. ultimo, dixit finem artis esse aliquid operatum manens, præter actionem, prudentiae vero finem nihil esse præter operationem, consideravit enim ea quæ sunt per se, nam interdum etiam ars

nihil relinquit præter operationem, verbi gratia, saltationem : sed hoc accidit arti, ut sic, nam cum versetur in actione externa, quæ est accidens ex genere suo vendicat relinquere aliquid operatum, quanquam Aristoteles his locis potissimum loquitur de artibus mechanicis, quas vocat factivas, nam ex liberalibus, si proprie loquamur : magis pertinent ad scientiam practicam, et in opere interiori versantur, quamvis ut descendunt ad singularia habeant rationem artis. Aliae vero duæ, Grammatica et Rhetorica, vel proprie non sunt virtutes intellectuales, quia fundantur in fide humana, vel in hoc cum mechanicis conveniunt, quod ad operationes externas referuntur.

7. *Tertium corollarium pro alio discrimine artis et prudentie.* — Tertio colligitur cur Aristoteles dixit artem esse virtutem secundum quid, prudentiam vero simpliciter : quoniam ars non respicit honestatem, nec rectum usum simpliciter : prudentia vero tantum versatur circa honestum, ut honestum, et ad illud recte eligendum dirigit et movet. Unde notare oportet prudentiam variis modis usurpari, et lata quadam significacione comprehendere habitus quosdam, qui non sunt simpliciter virtutes, ut est prudentia militaris, et prudentia mercatoris, etc., quæ in hoc convenient, nam proposito certo fine unaquæque recte disponit hominem ad eligendum convenienter, et prout revera expedit tali fini, et prudentia sic sumpta ex genere suo est potius veluti quedam ars, ut prudentia militaris, et quæcumque alia, quæ per se non tendat in virtutem, et honestum ut sic : illa vero, quæ ad istum finem refertur, virtus simpliciter dicitur ab Aristotele et a D. Thoma etiam, propter rationem dictam.

8. *Objectio dissolvitur.* — Objicies. Actus prudentiae, quatenus procedunt ab intellectu, non sunt per se boni moraliter, sed solum quatenus a voluntate pendent, quia per se non sunt liberi : ergo nec ipse habitus erit per se simpliciter virtus. Respondetur concedendo in illis artibus non esse per se et intrinsece honestatem moralem. Unde si nomine virtutis significatur habitus ita hos actus solum eliciens, prudentia certe non esset virtus : nunc autem virtus vocatur habitus ille, qui per se et ex natura est aliquo modo principium talium actuum : et hujusmodi est prudentia, quæ etiam si non elicit formaliter bonos moraliter ; est tamen regula eorumdem actuum, et id esse infallibiliter movet ad honestum, et optime

disponit in ordine ad operations humanas, ut in specie et modo constitutas, et ideo virtus nam cum versetur in actione externa, quæ est simpliciter censemur.

9. *Qua de causa virtutes quædam reducantur ad prudentiam.* — Ultimo. In hac virtute prudentiae advertendum est ex supradictis de actibus humanis : judicium illud practice practicum de honesto eligendo, procedere a consilio, quod quidem consilium requirit, et inquisitionem et inventionem mediorum, propter quæ adjunguntur prudentiae eubolia, synesis et gnomi, scilicet ad inveniendum media ad judicandum per inferiores, vel superiores causas, vel ad judicandum secundum communes regulas, vel secundum extraordinarios eventus, de quibus D. Thomas 1, 2, quæst. 57, art. 6, sed latius, 2, 2, quæst. 47.

SECTIO IV.

Qualis sit distinctio inter virtutes morales.

1. *Notatio prima pro decisione.* — Supponendum primo ex supra dictis, et ex D. Thoma 1, 2, quæst. 58, art. 1, morem proprie ad actus liberos referri, qui primo sunt a voluntate, ex quo factum est, ut virtutes appetitivæ communiter dicantur morales, quasi primo efficientes rectitudinem in moribus, virtutes enim intellectus quamvis etiam perficiant actus liberos, et hoc modo possint dici late morales, quia tamen non illos perficiunt, quatenus liberi sunt, ideo nomen hoc proprie illis non tribuitur, licet interdum accommodetur prudentia, ut notavit D. Thomas, illa quæstione 58, art. 3, ad 2, eo quod hæc virtus maxime pendet ab appetitu, et minus potest per se sola rectitudinem in illo efficere. Quia prudentia omissa, de aliis disputat D. Thomas 1, 2, quæst. 59 et 60, tamen in priori solum demonstrat quo modo moralis virtus se habeat ad passiones, id est, an ab illis distinguitur, et cum illis esse possit, de qua re præter illa quæ ad materiam de passionibus spectant, et quæ de virtutibus appetitus sensitivi dicemus, nihil videtur notatione dignum; in alia vero tradit divisiones harum virtutum.

2. *Notatio secunda de pluralitate virtutum contra quosdam.* — Ubi secundo advertendum est quosdam negasse reperi in voluntate plures virtutes morales, sed unam sufficere, cuius adæquatum objectum sit bonum honestum, et actus ejus sit promptam reddere voluntatem ad omnia opera virtutis, que honesta sunt, quod si contingat voluntatem esse facilem in

DISPUTATIO III. SECTIO IV.

483

una materia virtutis, et non in alia, dicunt tit : in aliis vero virtutum objectis honestas et habere virtutem illam inchoatam, et non satis extensam : et eodem modo loquuntur de appetitu sensitivo, si in eo ponenda est virtus. Nam unum habitum dicunt sufficere ut appetitus sensitivus inclinetur ad obediendum in omnibus voluntati recte moventi. Hæc tamen sententia ab omnibus rejicitur cum Aristotele 2, Ethicor., cap. 3, et divus Thomas, quæst. 60, art. 1, probat has virtutes esse plures, sed ratione obscura facilior ratio sumi potest ex dictis supra remissive disputatione de unitate et distinctione habituum, ostendimus quippe, disp. 44, Metaph., in una potentia esse posse plures habitus, quia habitus est inferioris rationis, et generatur per actus : idem ergo est in virtutibus : unde licet ratio boni honesti respectu voluntatis sit veluti specifica, tamen respectu habituum est genericæ, sub qua continentur diversa objecta formalia virtutis, et ad hunc modum explicari potest ratio D. Thomæ, in illo art. 1, quia credibile non est tot actus tam diversos, et fere nullam inter se habentes connexionem, in unum concurrere habitum. Et confirmatur a simili de multitudine scientiarum et artium, sed in hoc occurrebat difficultas : nam videtur consequenter dicendum tot esse in intellectu prudentias, quot sunt in appetitu virtutes, hoc tamen pertinet ad materiam de prudentia. Vide Cajetanum, 1, 2, quæst. 66, art. 2.

3. *Prima partitio virtutum moralium explicatur.* — His positis, prima divisio virtutum moralium est, earum que versantur circa passiones, et que circa operationes. Ita divus Thomas, quæst. 60, citato art. 2, ex Aristotele 6, Ethicor., cap. 4. Est ergo advertendum omnes virtutes morales elicere actus, qui sunt vere operationes humanæ, et hoc modo omnes versantur in operationibus, id est, ut D. Thomas exponit, operatio honesta et recta est effectus virtutis: simili ratione ex qualibet operatione humana honesta excitari potest passio aliqua, id est, bonus effectus sensibilis, ut delectatio, vel amor, et per quæcumque virtutem potest interdum superari aliquis immoderatus affectus, et hoc etiam modo omnis virtus humana est aliquo modo circa passiones, ut etiam docet divus Thomas ex Aristotele 2, Ethic., cap. 2, contingit etiam in quibusdam objectis virtutum totam honestatem, ac rectitudinem sumi ex debita commensuratione ad ipsum operantem, ita ut homo eo modo utatur illa materia virtutis, quo naturæ suæ et rationi convenit, non prout immoderata passio expe-

tit : in aliis vero virtutum objectis honestas et rectitudino sumitur ex habitudine, vel commensuratione ad aliud, quia versantur circa opera per se primo ad bonum alterius ordinata. Virtutes prioris generis dicuntur esse circa passiones, non quia hæreant in appetitu sensitivo, id enim necessarium non est, ut patebit: nec quia materia circa quam talium virtutum semper sint passiones appetitus sensitivi : humilitas enim, et aliae, in hoc ordine virtutum numerantur, quæ tamen præcipue ponunt modum in affectu voluntatis, unde etiam in rebus spiritualibus reperiuntur: dicuntur tamen versari circa passiones, quia in habitibus difficultas recte operandi circa res, quæ ad solum ipsum operantem pertinent, majori ex parte oritur ex affectibus non bene ordinatis. Item quia principaliores ex his virtutibus in passionibus versantur: denique quia finis istarum virtutum est, bene componere inferiorem appetitum cum superiori, passiones autem sunt inferioris appetitus. At virtutes secundi generis dicuntur esse circa operationes, quia ita referuntur ad rectitudinem ipsarum operationum per se, ut non respiciant tantum perfectionem ipsius operantis in seipso, sed prout ad alium refertur, nec per se tendant ad moderandum affectum et subjiciendum unum appetitum alteri, sed solum ad bene exercendum officium erga alterum : quod si contingat hoc officium ex passione aliqua non bene exerceri, tunc ex consecutione illam moderantur. Quocirca dicta divisio hoc æquivalet, virtutum quædam referuntur ad operantem tantum per se, quædam vero ad alterum, ex quo satis constat sufficientia et ratio hujus divisionis.

4. *Secunda divisio.* — Secundo. Dividitur virtus ad alterum, seu circa operationes, in multa genera et species. Virtus enim ad alterum, debitum alteri respicit: nunquam enim virtus inclinaret ad alterum, nisi hoc esset aliquo modo alteri debitum, et ideo quatenus ille alter potest esse diversæ rationis, vel etiam debitum ipsum, possunt variari species harum virtutum: unde in hoc ordine numeratur justitia, et in eo ponit tres species D. Thomas, nempe justitiam legalem, quæ est privatae personæ ab bonum commune reipublicæ: justitiam distributivam, quæ est e contrario communitatibus ad partes ejus: et commutativam, quæ proprie est inter privatas personas: et ad has revocatur vendicativa justitia, quæ partim ad commutativam, partim ad distributivam pertinere potest. Numerantur etiam in hoc ordine religio, quæ est ad Deum; pietas ad

parentes; obedientia, observantia ad personas in dignitate constitutas; gratia seu gratitudo ad benefactores. De aliis vero dubitari solet, an ad-hoc genus pertineant, ut de liberalitate, de magnificentia, de amicitia et misericordia, de veritate et fide, seu fidelitate, de quibus, in 2, 2, dictum est, viderique potest S. Thomas, 1, 2, quæst. 80, et Aristoteles 5, et 8 et 9, Ethicorum.

5. *Tertia divisio.* — *De virtutibus moderantibus passiones concupisibilis juxta D. Thomam.* — Tertio dividitur aliud genus virtutis in plurimas etiam species, prout in moderandis passionibus potest reperiri diversa ratio difficultatis, vel honestatis. Ad istam divisionem assignandam tanquam fundamentum ponit D. Thomas primo virtutes has præcipue esse in appetitu sensitivo. Ponit secundo, in illo appetitu duas esse potentias, irascibilem et concupisibilem, unde concludit virtutes moderantes passiones concupisibilis, esse omnino distinctas a virtutibus moderantibus passiones irascibilis. Ponit tertio in passionibus duo posse considerari, primum, est objectum passionis, ut si sit amor, an sit honoris, vel divitiarum, etc., secundum, modus, seu forma passionis, scilicet an tendat in objectum amando, vel desiderando: statuit ergo solum differentiam in modo passionis non sufficere, ut virtutes diversae sint, sed considerandum est, an inter se sint connexæ passiones illæ, ut una ex altera oriatur, retenta eadem ratione honestatis: nam circa plures passiones sic connexas, una est virtus: ex quo videtur concludi omnes virtutes, quæ dicuntur esse in potentia concupiscenti, et per se primo moderari amorem, nam ex illo cæteræ passiones concupisibilis oriuntur. Solum posset esse difficultas de patientia quæ dicitur esse in potentia concupiscenti, et per se primo moderari tristitiam: sed breviter dicendum est hoc ipsum efficere primo moderando amorem, id est, inclinando voluntatem vel appetitum ad volendum illa objecta, et in illis gaudendum, quæ alias tristitiam afferunt et dolorem, plura autem ibi dicit Cajetanus, quem vide, si placet.

6. *De moderantibus irascibilis juxta eumdem.* — De passionibus autem irascibilis, inquit D. Thomas non habere necessariam connexionem cum passionibus concupisibilis: ratio est, quia hæ passiones addunt rationem ardui et difficultis: qui autem est vere dispositus circa ea, quæ communia sunt, non ideo sic erit circa ardua et difficultia, unde concludit necessarias esse quædam virtutes ad moderandas

has passiones: distinguuntur autem irascibilis passiones præcipue in tres species, tristitiam, timorem, iram: nam desperatio et audacia duabus aliis respondent, et simul temperantur, quæ tres passiones non necessarie connectuntur, quia objecta earum sunt valde diversa, et pro eis moderandis tria virtutum genera assignantur distincta, atque ita ex parte passionum habemus jam quasi quatuor genera virtutum: in singulis autem generibus numerat D. Thomas plures species; in primo sex, temperantiam, circa bona delectabilia tactu; liberalitatem, circa divitias; et philotimiam circa honores; item affabilitatem, quæ accommodat hominem, ut in factis, verbis et rebus seriis se præbeat facilem et humanum: quinta est eutrapelia, quæ similiter moderatur delectationem in rebus jocosis: sexta est veritas, qua aliquis ita se communicat alteri sicut revera est. Circa spem ponuntur duæ, scilicet magnificentia circa magnas divitias, et magnanimitas circa magnos honores. Circa timorem et audaciam, est una, scilicet, fortitudo. Circa iram, altera, nempe mansuetudo. Hanc doctrinam ex parte sumpsit D. Thomas ex Aristotele, 2, Ethicorum, et lib. 4, a cap. 6, usque ad finem libri.

7. *Auctoris censura de proxima tertia divisione.* — In hac tota doctrina multa sunt obscura et dubia, priora enim duo fundamenta, in numero quinto posita, non sunt mihi certa, nec vera, unde ex primo illo fundamento solum sumendum est, materiam circa quam versantur hæ virtutes, esse actus, seu affectus appetitus sensitivi: non quod hæ sit materia adæquata, sed magna ex parte: qui tamen affectus appetitus sensitivi reperiuntur etiam in voluntate servata proportione, ut ex materia de passionibus constat. Secundum etiam fundatum non est necessarium, nunquam enim virtutes distinguuntur propter illas potentias; sed considerandum est, an ex objectis et actibus habeant sufficientem distinctionem. Illud etiam quod tertio loco D. Thomas ait, spem non habere connexionem cum aliquo amore, qui ad concupiscentem potentiam pertineat, est valde incertum, et fortasse falsum, si amor sit efficax, qualis esse debet: quare tota illa partitio dubia manet et obscura: non potest tamen hoc loco explicari non intellectis rationibus omnium virtutum et passionum: hæc sola nunc dicenda videntur, primo non omnes has virtutes per se primo respicere proprie affectus et passiones appetitus sensitivi, ut patet de veritate, et fortasse de philotimia et li-

beralitate. Secundo videtur certum non esse hic numeratas a D. Thoma omnes virtutes, quæ ad hoc genus pertinent: omisit ergo patientiam, modestiam, castitatem: et Aristoteles, supra, addidit verecundiam et nemesim, quæ an virtus sit, suo loco dicemus. Tertio fortasse etiam verum est non omnes has virtutes numeratas esse species essentialiter distinctas, sed solum gradus distinctos ejusdem virtutis, ut fortasse liberalitas et magnificentia, philotimia et magnanimitas.

8. *De continentia et constantia ex Aristotele.* — Ultimo advertendum est Aristotelem 7, Ethicorum, cap. 1, addidisse duas alias virtutes, continentiam scilicet et constantiam. Primam vult esse quasi temperantiam imperfectam, quia pugnat cum passionibus, succumbit tamen. Secunda simili modo esse videtur tanquam fortitudo imperfecta, et ideo dicit esse imperfectas virtutes, de quibus D. Thomas, 1, 2, q. 58, art. 3, ad 2 et 2, 2, q. 415, art. 2, quidam tamen ex discipulis ejus volunt has esse habitus omnino distinctos a veris virtutibus temperantiae, et fortitudinis, quod ita esse non censeo, ut ostendam infra, sect. 6.

SECTIO V.

De aliis divisionibus, seu potius denominacionibus virtutum præcipue Cardinalium et Theologicarum.

1. *Triplex difficultas in gratiam aliarum divisionum virtutis.* — *Ad primam difficultatem de virtutibus Cardinalibus.* — *Cur sic vocentur.* — *Earum gradus in perfectione.* — *Quæ sit potior inter Cardinales.* — Oriebatur ex supradictis duplex difficultas, quia videbantur virtutes sufficienter divisæ, cum tamen non divisorimus virtutes Cardinales, nec Theologicas. Accedit tertia difficultas propter quosdam habitus, quos circa supernaturalia objecta adquirimus, qui etiam videntur habere rationem virtutis, et a supra dictas non pertinere: quæ difficultas inservire potest ad explicandas quæstiones 61, 62, in 1, 2, D. Thome. Atque ad primam partem dicendum, esse virtutes quæ dicuntur Cardinales, quo modo loquendi usus est Ambrosius, libro quinto, in Lucam, capite de Beatitudine, Hieronymus, Marc. 1; tales autem virtutes non esse distinctas a supra enumeratis, sed quatuor ex illis hanc denominationem accepisse, nimurum prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, ut ex Ciccone, libro secundo, de Inventione, D. Tho-

mas refert. Dicuntur autem virtutes *Cardinales*, ut idem divus Thomas late exponit, vel quatenus illa quatuor nomina in generali quædam significacione usurpantur, ut videlicet dicant quatuor generales conditiones in omnibus virtutibus repertas: vel si sumantur, ut significant quatuor particulares virtutes, dicuntur *Cardinales*, quia ex parte materia habent quædam excellentiam, et sunt maxime necessariae, et veluti introitus et janua ad ceteras virtutes, unde non est necesse has esse præcipuas perfectione et essentia, sed necessitate et usu: et adhuc isto modo non comparantur cum theologicis, quæ non solum sunt præcipuae, sed alia ratione sunt magis necessariae, quia sunt fundamenta honestæ vitæ, ut patet de fide 1, ad Corinthios 3, versiculo decimo, et ad Hebraeos de Spe, capite sexto, versiculo decimo-nono et vigesimo, et ad Ephesios 3, charitas dicitur *radix*, qua de re vide D. Thomam, quæstione de Virtutibus, art. 12, ad 14. Disputari tamen solet inter has quatuor, quæ sit præcipua, de quo D. Thomas, illa quæst. 66, art. 3, qui recte docet prudentiam esse perfectissimam, secundum locum tenere justitiam, tertium fortitudinem, quartum temperantiam, quod etiam sentire videtur Aristoteles, 5, Ethicorum. Sed comparatio ista virtutum, sicuti et multæ aliæ, quæ fieri possunt, hic perfecte intelligi non potest usque ad materiam de virtutibus in particulari, in 2, 2.

2. *Expeditur juxta prædicta, divisio alia virtutis.* — Et juxta dicta intelligenda est alia distinctio, seu divisio, quam divus Thomas, quæstione sexagesima-sexta, articulo quinto, exponit, nempe virtutes alias esse politicas, alias purgatorias, alias purgati animi, tales enim virtutes non sunt distinctæ a numeratis, imo nec membra ipsa sunt essentialiter divisa: sed eadem virtus secundum diversos gradus et status illas recipit denominaciones, sic enim virtutes quatuor Cardinales, quia res humanas moderantur, politice dicuntur, ut vero animum abstrahunt a temporalibus rebus ut sic, cum Deo conjungant, dicuntur purgatoria: ut vero jam sunt in animo perfecto, quem pacatum reddunt, et Deiformem: dicuntur purgati animi, vel heroicæ, aliæ dicuntur exemplares, ut in Deo.

3. *Ad secundam difficultatem de virtute theologicâ.* — Ad secundam difficultatem dicendum est, virtutem theologicam vocari divinam, vel quia a solo Deo datur, et sic talis denominatio est communis omnibus virtutibus